



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Modus absolvendi ab Excommunicatione in foro interno.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

fam, &c.) & restituo te communioni & unitati fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ, in nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus sancti.

*Quod si Sacerdoti nulla sit à superiore præscripta forma, nec sibi mandatum ut in forma Ecclesiæ communi vel consueta absolvat, tunc nihilominus, pro rei gravitate, prædictam carimoniam & preces adhibeat: at vero, si res non fuerit adeo gravis, absolvere poterit, dicens:*

Dominus noster IESVS Christus te absolvat: & ego, autoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ (si à Papa fuerit delegatus) (vel Reverendissimi Episcopi N. vel talis Superioris) mihi concessa, absolvo te &c. ut supra.

*In foro autem interiori, Confessarius, habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta formam sequentem:*

Ego, facultate mihi concessa, absolvo te à vinculo excommunicationis majoris, quam incurristi (hic exprimaturs causa, ob quam est excommunicatus;) & restituo te communioni & unitati fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ. Deinde, eadem autoritate, ego te absolvo à peccatis, &c.

*Nota bene. Quod si plures sint cause ob quas est*  
quis-

*quispiam excommunicatus, omnes in absolutione sunt exprimenda; alioquin à solis expressis censebitur absolutus.*

**Ritus absolvendi excommunicatum,  
jam mortuum.**

**S***I quis excommunicatus, ex hac vita decedens, dederit signum contritionis; ne Ecclesiastica careat sepultura, sed Ecclesie suffragiis, quatenus fieri potest, adjuvetur; absolvi potest hoc modo.*

*Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur & absolvatur, ut infra; deinde, absolutum, in loco sacro sepeliatur.*

*Si verò fuerit sepultum in loco profano, & commode fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & post absolutionem in loco sacro sepelietur; sed, si commode exhumari non potest, locus sepulture verberetur; postea absolvatur.*

*Quod si in loco sacro sit sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulchrum. Dum autem corpus, si ve sepulturam, verberat Sacerdos, dicat Antiph. Exultabunt Domino ossa humiliata. Psal. Misere mei Deus, &c. Quo facto, absolvatur, dicendo: Autoritate mihi concessa, ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam incurristi (vel incurrisse declaratus es) propter tale factum, & restituo te communioni fidelium, in nomine Patris ✠, &*